

buta essent æterna, immutabilia, & necessaria, quia illarum idea in intellectu divino existit ab æterno, modi etiam & alia omnia possent dici æterna, necessaria & immutabilia, cum pariter illorum idea sit in intellectu divino: falsum tamen consequ. ergo & ant.

Resp. Dist. sequelam. Modi & alia omnia possent dici æterna, & absolute necessaria & immutabilia, si in eorum conceptu involverent eandem necessariam connexionem, quam involvunt essentia & attributa rerum, ita ut etiam per voluntatem divinam mutari non possent, C. secus, N. maj. Igitur essentia & attributa possibilitatem rerum intrinsecam constituunt, quæ quidem possibilitas intrinseca etiam per Dei voluntatem mutari non potest, ita ut res sine sua essentia vel suis attributis in intellectu divino, atque etiam extra ipsum existere impossibile omnino sit. Idem vero dici non potest de modis, qui possunt adesse vel abesse, salva subjecti essentia, quoties & quomodocumque Deo visum fuerit; ac proinde modi sunt mutabiles, neque eorum in subjecto aliquo absentia contradictionem involvit, prout etiam representantur in intellectu divino, atque ideo non sunt necessarii nec proinde æterni.